



1751

1. Kopf

2. Esch

In

3. Man

ij

4. P

ci

1752

1. M

2

2. S

3. /

4. S



23

ANIMA  
NON CORPORE NOTIOR

21

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QVAM

1754, 2.

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO,

PRINCIPE HEREDE AC DVCE MECLLENBVRGI,  
PRINCIPE VANDALORVM, SVRINI AC RACEBVRGI, COMITE SVRINI,  
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE DOMINO,

DOMINO LONGE CLEMENTISSIMO.

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

M. L. Q. C. ANNO MDCCLIV. D. XVIII. SEPTEMBER

PVBlice DEFENDENT

IOHANNES CHRISTIANVS ESCHENBACH

PROF. PHILOS.

ET

IOHANNES FRIDERICVS CASIMIRVS  
ROSENBERGER.

NEO - AVZA CVRONVS, TH. C.

ROSTOCHII,

LI TERIS ADLERIANIS.



ANIMA  
ON CORPUS MORTUUM

DISSECTATIO  
FACTA A DOMINO  
CHRISTIANO ROSENBERGERO

DOMINO FRIDRICH  
ROSENBERGERO  
PROFESSORI  
MEDICINAE

IN ACADEMIA  
MEDICINAE  
KUNIGL. UNIVERSITÄT  
WÜRZBURG

JOHANNES CHRISTIANUS  
ROSENBERGERO  
PROFESSORI

JOHANNES FRIDRICH  
ROSENBERGERO  
PROFESSORI

WÜRZBURG  
MDCCLXXII

ROSENBERGERO  
PROFESSORI



fi  
in  
Io  
co  
ig  
ut  
au  
n  
L





Commentatio haecce questionem ventilandam, utrum anima notior sit corpore an non? proponit §. I. Eorum qui animam, tam quoad existentiam quam quoad naturam, notiozem dicunt, sententiam exhibet una cum argumentis suis §. 2 - 5. Huic oppositam, et quidem I. quod *existentia* animae non notior sit quam corporis, stabilis §. 6; eamque comprobat *a) directe* eum in modum, ut notata vocis animae humanae aequivocatione §. 7 - 10, evincat, hominem statim ac se esse ens cogitans perspicit etiam corporis sui existentiam extraidealem cognoscere §. 11 - 15. animam igitur non dicendam esse corpore notiozem, in quacumque etiam suppositione terminus animae sumatur §. 16 - 19. *β) deinceps* eatenus, ut argumentationes antithesin firmantes infringat §. 20. *21.* II. Quod autem *natura et qualitates* animae non notiores quam corporis sint, non stabilis aliter ac ut dissentientium rationes vi destitutas ostendat, Lectoremque ad Cel. Holmanni ableger Dissertationes §. 22.

A

S. I.

§. I.

Homini an prior sit sui ipsius an alterius extra ipsum positi entis notitia, disceptationi obnoxiam esse non solet; saltem quod homo sui ipsius existentiam prius quam alterius entis cum certitudine percipere possit, concedunt unanimiter. *Utrum* ei vero reflexionem in semet dirigente *anima* sua suo notior sit corpore, est, quam adfirmant alii, alii negant, quaestio; quamque in sequentibus excutere, ob insignem quem in controversiis cum Idealitatis praestat usum, operae pretium esse existimavi.

§. 2.

*Animam esse notiozem corpore*, eruditorum permulti pronuntiare solent, idque tanta plerumque cum fiducia, ac si vel ullum circa hanc assertionem concipere dubium foret nefas. Cuius causam in auctoritatis praeiudicio praeprimis quaerendam esse iudico, et unicuique in litteratorum orbe haud hospiti patebit facillime. Posteaquam enim Cartesius integram tractationem de natura mentis humanae, quod ipsa notior sit quam corpus, exhibuit (Conf. Meditationum de Philosophia Prima conscriptarum Secundam); postquam Leibnitijs nihil nobis anima nostra notius esse asseruit, illa siquidem nobis, id est, sibi ipsi est proxima (Vid. Theodicaeam §. 59.); posteaquam Per Jll. de Wolff, quod animae existentiam ante cognoscimus quam corporis affirmavit (Psychol. Empir. §. 22.): celeberrimorum horum virorum auctoritatem tantum invaluisse vix ac ne vix quidem mirandum, ut nunc nullum fere compendium philosophicum, praesertim methodo et menti Wolfii convenienter (quod in titulo asserere gloriae sibi ducunt) in lucem emittatur publicam, in quo non itidem animam esse corpore notiozem affirmaretur seu assertum in dubium prorsus non vocandum. Tantane ab omni aevo eruditorum primi quoad famam ordinis fuit potestas, ut eorum quaevis placita imitatores nanciscerentur atque defensores, etiam ea, quae interdum omni prorsus destituuntur fundamento?

Duplici autem in sensu hocce assertum accipi solere venit notandum. *Alii* enim animam dicunt corpore notiore quoad existentiam; alii vero quoad naturam et intrinsecam constitutionem. *Priores existentiam animae homini notiozem* (i. e. prius cum certitudine notam) dicunt *quam corporis*, ex ea ratione, quia existentiam sui qua cogitantis homo ante quam sui qua corporis cum certitudine cognoscit. „Homo, inquit (a), simulac *sui* ideam sibi formaturus assertum, quod omnium primum assumere potest tamquam necessario et certo verum, assumit, nimirum simulac, ego cogito! ego existo cogitans! pronuntiat: ad conceptum eius, quem per vocem *ego* indigitat, id est, ad ideam *sui* inseparabiliter pertinere *eo* esse cogitantem; prorsus non autem pertinere *eo* esse corpus, animadvertit, quippe quod a *sui* cogitatione divelli et abesse prorsus posse perspicit, quin imo tunc, quum *sui* ideam sibi format, adhuc ceu possibile assumere potest, quod corpus suum non realiter et extraidealiter existat. Hac igitur ex causa, simulac *sui* sibi formans ideam assertum omnium primo verum assumit: certus iam est, *se* esse cogitantem; nondum autem, *se* esse hanc membrorum machinam, quam corpus suum dicit. Hinc iam tunc, *se* existere cogitantem, quum nondum, *se* existere corpus, est certus. Adeoque, quia is qui *se* esse ens cogitans perspicit, *se* esse animam dicere potest, dum ens cogitans (quale est homo) et anima sunt termini unam eandemque rem denorantes: iam tunc, *se* existere animam (sive si ita loqui luberet, animam suam existere, *se* habere animam, animam sibi inesse, aut eiusmodi), quum nondum, *se* existere corpus (corpus suum existere, *se* habere corpus, *se* existere qua corpus), est certus. Hinc ante cum certitudine, *se* existere animam (animam suam existere,) quam *se* existere corpus (corpus suum existere) cum certitudine cognoscit. Notior igitur ipsimet est, quia notius id altero dicendum quod prius altero cum certitudine cognoscitur, animae quam corporis existentiae. Quibus sequentia iungo,

A 2

I. Qui

I. Qui hac utuntur demonstratione terminos, *ens cogitans* et *anima*, synonymice adhibere (b).

II. Eosdem has loquendi formulas, *ego sum anima* (homo est anima) et, *anima mea existit* (hominis anima existit) aliasque similes, promiscue et ceu eundem sensum involventes usurpare.

III. Propositionem (quod homo *sui* ideam sibi formare et asserere omnium primum, *ego cogito!* asserere queat, absque ut ad ideam *sui* pertinere perspiciat ideam corporis, quid quod tunc quum *sui* qua cogitantis cognitionem haber, ceu possibile adhuc asserere queat ut corpus suum nondum realiter et extra mentem existat) esse fundamentum totius huius, quae animam esse notioem asserit, demonstrationis.

SCHOL. (a) Dari qui hoc sensu animam dicunt corpore notioem, et in sententiae suae stabilimen allatam suppeditare solent demonstrationem: exemplo Cartesii comprobare potis sum. Hic in Meditationum de Philosophia Prima conscriptarum Secunda dictam propositionem, quod animae existentia prius certiusque homini nota sit quam corporis defendit, totamque probationem huic superstruit principio, quod homo quum *sui* sibi format ideam, cognoscat, 1) se esse cogitantem fierique non posse ut ab idea *sui* separaretur idea entis cogitantis "cogitare? dicens, hic invenio. Cogitatio est, haec sola a me divelli nequit, ego sum, ego existo, certum est - - Sum igitur praecise tantum res cogitans"; 2) se non esse corpus, et ad *sui* ideam prorsus non pertinere ideam, generatim ullius, ergo nec speciatim, *sui* corporis "non sum compages illa membrorum, quae corpus humanum appellatur - - Cognosco nibil eorum quae possum imaginationis ope comprehendere, ad hanc quam de me habeo cognitionem pertinere" quin, hominem eo quo se existere cogitantem iam certus adsumere potest momento, adsumere adhuc posse putat. quod nullum prorsus extra mentem realiter existat corpus, sed omne corpus sit mera mentis idea "Certo scio me esse, simulque fieri posse ut omnes istae imagines et generaliter quaecumque ad corporis naturam referuntur, nil sint praeter insensivum - - Fieri potest ut hoc quod video, non vere sit - fieri potest ut nequidem oculos habeam - -".

SCHOL. (b) Cartesius l. c. "sum igitur, inquit, res cogitans, id est mens sive animus, sive intellectus sive ratio".



§. 4.

Mutata paululum ratione eandem ejusdem propositionis probationem (a) evolvunt quidam sequenti ratione. „Homo, aiunt, se sui sibi esse conscius iam tunc cognoscit, quum nondum corpus suum realiter existere certus est. Quum enim de existentia reali corporum adhuc dubitat, huius dubitationis sibi iam est conscius, nec quidem ex eo quod dubitat, sui sibi est conscius. Quicumque vero sui sibi est conscius, cognoscit se existere qua ens quod sui sibi conscius est. Quicumque se existere cognoscit qua ens, quod sui sibi est conscius, animam suam existere (sive, se esse animam, se habere animam) perspicit. Atque hinc homo se esse animam (animam suam existere) iam tunc cum certitudine cognoscit, quum nondum corpus suum realiter existere est certus. Notius perspicitur igitur est, animam suam quam corpus suum existere; sive animae existentiam ante cognoscimus, quam corporis. Ex quibus constat

I. Demonstrationis huius conditores promiscue et tanquam aequipollentes adhibere hasce loquutiones, *anima sumus* (homo est anima), *anima nostra existit* (hominis anima existit), *habemus animam* (homo habet animam), et similes.

II. Totius huius demonstrationis fundamentum esse hanc propositionem: homo iam certus cognoscit se esse ens cogitans sive se sui sibi et aliarum rerum esse conscius, dum adhuc dubitat de reali et extraideali corporis sui, et generatim omnium corporum, existentia.

SCHOL. (a) Dari qui animam esse notiozem corpore per allatam demonstrationem evincere student, patet ex Perll, Wolffii Psych. Empir. §. 20. 21. 22.

§. 5

Qui vero animae naturam qualitatesque notiores dicunt quam corporis (S. 3.) hanc adserptionis suae rationem allegare solere constat, quod homini natura et affectiones, quae sibi qua cogitanti competunt, notiores i. e. ante cum certitudine cognitae sunt, quam quae sibi qua corpori

gitans  
homo  
i) ali-  
ventes  
et al-  
bsque  
l quod  
possi-  
iter et  
quae  
notio-  
solent  
s sum.  
ecunda  
usque  
ionem  
ideam,  
dea sui  
io. Co-  
certum  
on esse  
eratum  
ges illa  
o nibil  
quam  
se exi-  
sume-  
caliter  
to scio  
raliter  
in som-  
oribus  
id est  
§. 4.



corpore adscribuntur. „Homo, inquit, qualitates quae naturam et  
 „essentiam sui qua cogitantis constituunt, nimirum dubitantem, in-  
 „telligentem, appetentem, averfantem esse etc. sibi competere certus  
 „cognoscit, simulac assertum quod omnium primum haberi ab ipso po-  
 „test eum certo et necessario verum, assumit, id est, simulac se esse co-  
 „gitantem cognoscit; idque ideo, quia hae affectiones non sunt nisi  
 „partes cogitationis suae, h. e. non sunt nisi diversae sui qua cogitan-  
 „tis operationes. Ast tunc nondum qualitates, quae ad naturam sui  
 „qua corporis referuntur, scilicet figura aliqua terminari, loco cir-  
 „cumscribi, tactu visu auditu gustu vel adoratu percipi, nec non  
 „moveri etc. sibi competere certus est; quia tunc, quum se esse co-  
 „gitantem perspicit, de existentia corporis sui (et generatim cuiusli-  
 „bet) nondum est certus; de rei autem, cuius existentiam adhuc  
 „ignorat, affectionibus et natura certus esse nequit. Homo igitur  
 „naturam sui qua animae (sive si ita loqui luberet, animae suae), iam  
 „cognoscit certus, quum nondum sui qua corporis (corporis sui)  
 „naturam et quae eam ingrediuntur qualitates certus cognoscit; qui  
 „enim sui qua cogitantis naturam habet perspectam, sui qua animae  
 „etiam novit naturam, quia ens cogitans (cuiusmodi est homo), et  
 „anima sunt eiusdem rei denominationes. Adeoque homini notior  
 „est animae quam corporis sui natura. Notamus ex hisce

I. Quod meditationis huius auctores voces, *anima humana*  
 et *ens cogitans*, pro synonymicis habeant.

II. Quod affectiones quae ad rō cogitare requiruntur et na-  
 turam entis cogitantis absolvunt, iam plenarie exhibere pu-  
 rent affectiones quae naturam animae humanae constituunt;  
 adeoque non plures qualitates ad essentiam animae humanae  
 requirant, quam ad essentiam entis cogitantis.

III. Quod fundamenti loco totius demonstrationis struant  
 hanc propositionem: homo ante cum certitudine cognoscit  
 qualitates sui qua cogitantis, quam sui qua corporis, ideo,  
 quia tunc quum se cogitantem perspicit, adhuc eum possibile  
 assume.



assumere potest quod nullum corpus extraidealiter existat et omne non sit nisi mera mentis idea, adeoque nondum de, existentia corporis sui atque hinc nec de eiusdem qualitatibus certus esse potest. Ponamus igitur falsum esse hoc assertum, quod homo tunc, quum se esse cogitantem perspicit, possibile esse assumere queat ut corpus, suum et generatim quodlibet, non existat extraidealiter: tunc rueret omne huius aëmonstrationis fundamentum.

SCHOL. Ad probandum quae dixi, ad Cartesium provocare iterum potero, qui l. c. Med. II. singulas quas adduxi propositiones expressis proposuit verbis. Quod enim hae affectiones e. g. dubitantem esse etc. naturam entis cogitantis exhibeant, hisce affirmat *"Quid igitur sum? Res cogitans. Quid hoc est? nempe dubitans, intelligens, affirmans, negans, volens, volens, imaginans quoque et sentiens"*. Quod homo simulac se cogitantem perspicit, etiam hae sibi in se qualitates certus cognoscat, et ea quidem ex ratione quia nil sunt nisi variae cogitationis species patet ex eo. *"Quid est horum, quod non aequè verum sit ac me esse? quid est quod a mea cogitatione distinguatur? quid est, quod a me separatim dici possit?"* Nam quod ego sim, qui dubitem, qui intelligam, qui velim, tam manifestum est ut nihil occurrat per quod evidentius explicetur - nam *"quavis forte nulla prorsus res imaginata vera sit, vis tamen ipsa imaginandi revera existit et cogitationis meae partem facit"*. Quod homo tunc quum se cogitantem esse iam certus novit, nondum de corporum existentia certus esse queat; quod corpora potius non nisi idealiter existere, non nisi meras mentis ideas esse, ipsi sit statuendum; quodque, si corpora a sensibus representata realiter extramentem existerent affirmare et evincere velit, operose id demum et longe post, quam se esse cogitantem cognovit, praestare poterit, testatur itidem. Primum expresse indicat *"Certo scio me esse (se vero esse ens cogitans, in praecedentibus iam asseruerat, Sum, dicens, praecise res cogitans), simulque fieri posse ut omnes istae imagines et generaliter quaecumque ad corporis naturam referuntur, nil sint praeter insomnia"*. Secundum patet ex hisce *"Consideremus res illas quae vulgo putantur omnium distinctissime comprehendi, corpora scilicet - - Certe nihil eorum quae sensibus attingebam remanens nam quaecumque sub gustum vel odoratum vel visum vel tactum vel auditum veniebant, mutata sunt - - Superest igitur ut concedam, me non quidem imaginari, quid sit haec terra, sed sola mente percipere"*

Eius

"Eius perceptio non visio, non tactio, non imaginatio est - sed solius  
 "mentis inspectio -- atque id quod putabam me videre oculis, sola iudi-  
 "candi facultate quae in mente mea est comprehendendo --. Cum mihi  
 "nunc notum sit, ipsamet corpora non proprie a sensibus vel ab imagi-  
 "nandi facultate sed a solo intellectu percipi, nec ex eo percipi quod ton-  
 "gantur, aut videantur, sed tantum ex eo quod intelligantur, aperte  
 "cognosco nil facilius aut evidentius mea mente posse a me percipi. Ter-  
 "tium exinde manifestum, quia corpora realiter extra mentem  
 "existere in peculiari demum meditatione Sexta evincere studuit.

§. 6.

Interim quo etiam in sensu anima affirmetur corpore notior,  
 abnuente tamen veritate affirmari contendo. Id quod praesertim  
 quoad priorem assertionem (§. 3.) ostendere et animae existentiam  
 non notiozem quam corporis, sed huius potius quam illius, in sequen-  
 tibus evincere operam dabo. Atque id ea quidem ratione, ut dicta  
 thesis non directa solum, uti aiunt, demonstratione firmetur, sed de-  
 inceps quoque, quibus antithesis defenditur, argumenta evolvantur  
 atque removeantur.

§. 7.

Quo autem quem intendo, sine potiri eo facilius queam: ad va-  
 rias vocis, animae humanae, significationes antea curatius attendere  
 me oportet; quippe quam in communi vita aliter accipi, in scientiis  
 vero interdum aliter constat. Nimirum in communiter, per totum  
 christianorum orbem recepto sermone per animam humanam denotatur  
 substantia intelligens, corpori humanum appellari solito inexistens,  
 et ab eo essentialiter diversa, quaeque est subiectum et causa earum  
 quas homo in se produci sentit cogitationum. Christianorum enim  
 quilibet, sermonem in communi vita adhiberi suetum dum sequitur  
 et de anima sua loquitur, dum sibi inesse animam, et similia pronun-  
 tiat, non modo ens innuit quod sui sibi et aliarum rerum est conscium,  
 sed et ens peculiare quod a corpore essentialiter diversum iam supponi-  
 tur. Quod non modo negari non poterit, sed cuius causa quoque  
 primo apparet intuitu. Dum enim christiana religio hominem esse  
 ens ex duplici constitutivo essentialiter differente resultans docet, quo-  
 rum unum anima appellatur et alterum corpus: infantes ab ipso sta-  
 tim

tim, quo religionis elementa discere incipiunt, tempore cum ter-  
 mino animae eum coniungere assuefunt conceptum, qui ens a cor-  
 pore essentialiter diversum involvit. Qui dictam igitur vocem se-  
 cundum usum loquendi communem accipit: per eam intelligit ens  
 peculiare, quod a corpore diversum iam supponitur tamquam ens im-  
 materiale a materiali; adeoque *eo* cogitare sive producere quas homo  
 sibi inesse sentit cogitationes, tribuit non homini qua toti, sed tantum  
 parti cuidam (sive partiali constitutivo), nimirum enti peculiari quod  
 homini (seu potius corpori) inexistit et a corpore (ceu altero consti-  
 tutivo partiali) prorsus distinctum est.

SCHOL. a. Quod terminus *anima*, et, *anima humana*, maxime  
 vagus sit maximaque laboret aequivocatione, neminem fugit et  
 ex sequentibus patebit ulterius. Philosophorum quidam omne, quod  
 ens ad operationes naturae suae convenienter edendas determi-  
 nat, eius animam dixerunt, adeoque et plantis et cuilibet rei prin-  
 cipium operationum suarum in se ipso habenti animam tribue-  
 runt, variaque tradiderunt de anima vegetativa sensitiva et ratio-  
 nali. Negari igitur nequit, quod in quamvis etiam significatione  
 quis vocem animae humanae sumere velit, semper tamen ad  
 auctoritatem huius vel illius, qui eandem in eadem significatio-  
 ne adhibuit, provocare adeoque semper usum loquendi inter eru-  
 ditos receptum allegare queat. At negari itidem nequit, quod  
 haec terminus, quamcumque etiam in scientiis habeat supposito-  
 nem sibi connexam, in communi tamen sermone fixum hunc at-  
 que constantem secum ferat significatum ut denotet ens quod a  
 corpore hominis essentialiter distinctum iam supponitur. Quod  
 negare, idem esset ac negare meridie solem iam esse ortum.

SCHOL. b. Dum, quod terminus, *anima humana* aliter in sci-  
 entiis, in communi vita aliter intelligatur dixi: quaestio moveri  
 posset, si quis vocem adhibere intendit, quae in communi sermo-  
 ne fixum atque determinatum significatum secum habet coniun-  
 ctum, alium vero in scientiis receptum auctoritateque eruditorum  
 introductum, quemnam horum significatum praeferre teneatur,  
 eumne quem communis usus an quem eruditorum consuetudo  
 sancivit? Respondendum est cum PerJll. de Wolff Log. Lat. Disc.  
 Praelim. §. 142. *In philosophia*, dicente, *a recepto verborum signi-*  
*ficanu* (per receptum significatum intelligit hoc loco eum, quem  
 verba vulgo et in communi sermone habent, non autem quem  
B
Log.

Log. §. 140. definit et a communi usu loquendi discernit; id quod ex proxime insequentibus statim patet.) *non est recedendum, hoc est, verbis non res aliae a nobis denotandae sunt, quam quae iisdem vulgo significantur. Quod si enim verbis res alias indigitamus, quam quae iisdem vulgo significantur, aut mentem nostram prorsus non assequi potest lector, aut minimum difficulter. Atque id recte quidem. De- decet enim philosophum ut, quam asserta sua profert ad erudi- endum alios homines etiam eos, qui auditis vocibus non alios iungere conceptus solent ac iungere iisdem ex communi vita sunt edocti, vocibus tamen utatur alia in suppositione ac communiter nota, aliisque adeo loquatur obscure. Circumspectus esse debet ver- borum usus, ait ibidem §. 151, ne vocum indeterminato ac vago signi- ficatu evidētiaē cognitionis-obicem ponamus ac summa imis misceamus! Utinam hanc PerJll. Philosophi regulam sibi notarent philo- sophorum recentiorum plurimi, qui in scriptis suis omnia sibi in detorquenda vocum significatione et pro lubitu formandis definitio- nibus putant licere, provocantes ad Logicorum regulam: Definitiones nominales sunt arbitrariae. Quasi definitiones nominales ar- bitrariae essent eo sensu, ut nomen seu verbum, quod determi- natam rem denotat et fixum iam habet praesertim in communi sermone significatum, in quavis tamen pro lubitu sumere liceat explicatione et per illud aliam rem denotare, id quod fit, si ex de- finitione pro arbitratu omittuntur praedicata quae definiti con- stitutionem secundum usum loquendi communem ingrediuntur, aut si, quae non ingrediuntur, in eandem recipiuntur. Quae praes- sertim eorum est consuetudo, qui Leibnitii morem loquendi in philosophia sequuntur, qui, ut exemplo utar, monadibus vim sibi mundum repraesentandi, cogitationes a quibus separata est con- scientia, appetitum etc. tribuunt, omnes eiusmodi terminos detor- quentes aliterque ac in communi vita receptum usurpantes, id e. g. appetitum nominantes quod alii conatum dicunt, item per verba res A sibi repraesentat rem B nil aliud intelligentes ac quod alii exprimerent per res A relationem habet ad rem B, et sic in reli- quis. Celeberr. Meterus e. g. in dem Beweis der vorherbestimmten Uebereinstimmung §. 104. "Ich behaupte, dicit stylo Leibnitiano, "daz alle Monaden sich diese Welt vorstellen. Ich nehme an "das die Vorstellungen dieser Welt in den Monaden eben solche "Vorstellungen sind, als die Gedancken unsrer Seele, wenn man "das Bewußtseyn davon abfondert, §. 110. Hieraus folgt, das eine "jede Monade ihre Kraft bestimmt, ihren Gesichtspunct be- "ständig zu ändern. Diese Bestimmung der Kraft wil ich quasi vero*

"vero id pro lubitu liceret!) das Begehren nennen. Folglich  
 "hat eine iede Monade Begierden etc". Quibus vere allegatis in  
 locis, aequae ac per totum scriptum, omnium fere verborum palmariorum  
 significatum, morem sequutus quem Leibnitiu in Monadologia reliquisque  
 scriptis observavit, detorsit usumque loquendi communem violavit. Ecquis enim  
 in communi vita conatum dicit appetitum? appetitus accurate non tribuitur nisi  
 rebus animatis cum conscientia sui et praevia repraesentatione de bonitate  
 obiecti agentibus (si discesseris a quibusdam casibus, in quibus forte  
 incautorum inconstantia aliud introduxit). Ecquis in communi vita cogitationes  
 novit, a quibus separari potest conscientia? certe eiusmodi cogitatio est  
 circulus a quo separatur rotunditas; cogitatio cuius cogitans saltem eo quo cogitat  
 momento sibi non esset conscius (sive perceptio obscura, ut quidam aiunt,  
 earumque continuam seriem interdum in anima existere asserunt) est  
 contradictio in adiecto; recte PerJll, Philosophus Psych. Emp. §. 23. sch.  
*quando nobis, dicit, nobili consci sumus, veluti in somnio, tum nos non cogitare pronuntiamus.*  
 At eiusmodi detorsio vocum in plurimorum recentiorum scriptis  
 reperitur, qui ope eius omnia, absque ea nihil demonstrare valent.  
 Qui, si hominum alii se loquerentur "Lapis de turri filo suspensus  
 relationem habet ad res circum se et humi existentes; conatu gaudet  
 decidendi terram versus; et decidendo alias semper aliasque relationes  
 ad res circum et humi existentes nanciscitur etc." maiorem prae se  
 ferentes sapientiam ita sermonem faciunt "Lapis de turri filo suspensus  
 perceptiones habet rerum circum se et humi existentium (sibi repraesentat  
 res circum se existentes, habet cogitationes rerum circum et humi  
 existentium, a quibus tamen conscientia s. apperceptio est separata);  
 gaudet appetitu versus terram decidendi (habet appetitum ad novas  
 perceptiones, hat eine Begierde die Dinge aus einem andern  
 Gesichtspunct anzusehen); decidendo novas semper habet perceptiones  
 sive cogitationes a quibus separata est conscientia, (semper sibi  
 mundum alia ratione repraesentat, sieht die Welt immer aus einem  
 andern Gesichtspunct an etc." Hoc nisi dicendum sit, nescio quid unquam  
 sit, usum loquendi communiter receptum deferere, significatum  
 terminorum fixum et omnibus notum detorquere, et ut PerJll.  
 Philosophus recte ait, summa imis miscere.

§. 8.

Ex allata hac vocis animae, quam in communi vita constanter  
 secum connexam habet, significatione quasdam deducere positiones  
 necesse

neceſſe eſt. Quia nimirum anima, ſi hic terminus vulgo ſumitur, diſtinguenda eſt tam a corpore, ceu ſubſtantia immaterialis a materiali, ceu ens inexiſtens ab ente cui inexiſtit, ceu contentum a continente, et ſi improprie loqui fas eſt, ceu hoſpes ab eo quod inhabitat domicilio, ceu unum parziale conſtitutivum ab altero eiſdem entis conſtitutivo partiali; quam ab homine, tanquam conſtitutivum, parziale a toto: patet,

I. Quod, ſi quis terminum animae humanae adhibet ſic ut per eum non intelligat ens quod a corpore cui inexiſtit, eſſentialiter diſtinctum iam ſupponitur, eundem contra uſum loquendi vulgarem adhibeat.

II. Quod, ſi quis eum dicto modo ſumit, dicere quidem poſſit, *mibi ineſt anima*, aut accuratius, corpori meo inexiſtit anima, (ſive, ego habeo animam, anima mea exiſtit, et eiſmodi); non autem, *ego ſum anima*. Hae namque formulae quoad ſenſum mirifice diſſerunt et ceu aequipollentes pro ſe invicem nequeunt ſubſtitui; id quod ſtatim manifeſtum ſit, ſi adhibita quaedam eiſmodi loquendi formula pro voce, anima, ſubſtituatur eiſ definitio. Quo facto phraſis, *mibi ineſt anima* (ego habeo animam, anima mea exiſtit) hunc habebit ſenſum, *mibi inexiſtit ens aliquod peculiare, a corpore meo eſſentialiter diſtinctum, quod eſt ſubiectum cogitationum mearum* (ego habeo ens aliquod peculiare a corpore eſſentialiter diverſum, ens illud peculiare mihi inexiſtens et a corpore meo eſſentialiter diſtinctum exiſtit). Aſt phraſis, *ego ſum anima* (anima ſumus, et eiſmodi) ſic veniret explicanda, *ego ſum ens illud peculiare corpori meo inexiſtens et a corpore eſſentialiter diverſum*, quae tamen verba termini eſſent inanes et mente deſtituti. Ex quibus laeulentiffime dictas loquutiones, *mibi ineſt anima*, et *ego ſum anima* promiſcuae adhiberi non poſſe conſtat. (a) Quas enim ſi quis promiſcuae uſurparet: uſum loquendi communiter receptum aequè violaret ac qui haec formulae, *mibi ineſt ſtomachus* (ego habeo ſtomachum) et, *ego ſum ſtomachus*, item, *ſtomachus ineſt*



*inest hospes* (domus habet hospitem sibi inexistente[m] et *domus est hospes*, et eiusmodi alias ceu aequipollentes acciperet.

III. Quod homo non ante, sibi (sive accuratius, corpori suo) inexistere animam (se habere animam, animam suam existere, aut si forsitan inconvenienter loqui luberet, se esse animam) certus sit, quam cognoverit corpus suum non posse esse subiectum et causa cogitationum, quas in se produci sentit; (b) sed corpori inesse peculiare ens immateriale et a corpore diversum.

IV. Idem, quod num. praec. II, adductum, valet ob identitatem rationis etiam de hisce formulis, *ego sum ens cogitans* et *mibi inest ens cogitans*; quippe quae quoad sensum maxime differunt adeoque ceu aequipollentes substitui pro se invicem nequeunt. Quod si enim dicitur, *mibi inest ens cogitans* (sive homini inest ens cogitans, et similiter): homo non asseritur esse ens cogitans, sed sibi inexistens habere eiusmodi ens peculiare, a quo supponitur distinguendus, tamquam totum, a partiali constitutivo, tamquam ens cui alterum ens inexistit ab eo quod inexistit. Si autem dicitur, *ego sum ens cogitans* (homo est ens cogitans): homo asseritur esse, non vero sibi inexistens habere, ens cogitans; adeoque non supponitur distinguendus esse ab ente quodam cogitante sibi inexistente. Parere exinde iudico satis superque, 1) quod formulae, *ego sum cogitans*, et *mibi inest ens cogitans*, si usus loquendi communiter recepti rationem habere velimus, non ceu aequipollentes pro se invicem substitui possint. Hoc si quis praefraete negaret aut censeret notatu indignum: concedere etiam tenetur, indifferens esse, utrum quis dicat, *ego sum stomachus*, an, *mibi inest stomachus*, item, *Deus est spiritus*, et, *Deo inest spiritus*, *anima est ens cogitans*, et, *animae inest ens cogitans*, *homo est currens*, et *homini inest ens currens* etc.; id quod tamen illaeso usu loquendi inter homines vulgariter recepto concedi nequit. 2) Quod si quis se esse ens cogitans cognoscit, non statim dicere, sibi inesse ens cogitans, queat (c), quia, dum esse ens cogitans perspicit, non statim et immediate



scit sibi inesse ens peculiare, a se distinctum ceu ens inexistens ab ente cui inexistit, ceu constitutum partiale a toto.

SCHOL. a. Dantur forsitan, qui quae hoc loco notavi, ad minutias grammaticorum relegandum et annotatu prorsus indignum censent. Ast neglectus eiusmodi minutiarum, (si haec vox arridet) in causa est, ut interdum in philosophia asserta stabiliantur et conclusiones ex principiis deducantur levissima opera, quae tamen exinde deduci a cauto et accurate meditante non possunt. Id quod statim ex sch. c. atque infra adhuc magis manifestum fiet.

SCHOL. b. Quod si per animam intelligitur ens a corpore essentialiter distinctum, existentia animae humanae haud absque sudore, et ante quam rō cogitare ostensum sit corpori, et materiae vel subtilissimae, repugnare, contra materialistam queat evinci, concedunt philosophorum omnes. Per Jll. Wolffius ideo ante, quod corpus cogitare nequeat, probare conmittitur Psych. Rat. §. 44. quam animam esse ens a corpore diversum stabilitat Ibid. §. 51. Cartesius itidem ante, quod modificationes s. qualitates animae, nimirum cogitationes, non possint explicari ex modificationibus corporis et materiae assumit, quam animam esse a corpore diversam asserere valeat. Vid. Med. II. Conf. Wolff Psych. Rat. §. 51. sch.

SCHOL. c. Exinde diiudicari poterit, quam in omnibus tere compendiis et systematibus philosophicis ad probandam animae existentiam aohibitam invenimus, demonstratio sequens: *ego cogito* (sive homo cogitat); *ergo, mihi inest ens cogitans* (homini inest cogitans); *ens quod in nobis cogitat, dicitur anima nostra* (ens in homine, quod sui sibi et aliarum rerum est conscium, dicitur anima humana. Vid. Wolff Psych. Empir. §. 20); *ergo nobis inest anima* (homini inest anima). Cuius debilitas primo apparet intuitu, et praecipue ortum inde trahit, quod hae propositiones, *ego cogito*, et, *mibi inexistit ens cogitans*, ceu aequipollentes immediate et absolute omni demonstratione sibi invicem sint substitutae. Id quod vero salva veritate fieri minime posse facile constat. Eiusmodi enim substitutionem legitimam esse qui asserit: eius ope, quod homo mille habeat animas, item quod Deus habeat animam, et similia, demonstrari itidem legitime posse, concedere est coactus. Faciamus periculum. *Homo cogitat. Ergo, homini inest ens cogitans. Id quod in ente cogitat, dicitur eius anima* (Vid. Baumgarcken Metaph. §. 504). *Ergo, homini inest anima*; quae distinctionis causa



ferentes autem ab iisdem eatenus, ut adhibita voce animae nondum determinent, utrum *ens* illud *peculiare homini* (scu potius corpori) *inexistens*, sit a subtilissima quadam in cerebro existente materia distinctum an non, et utrum cogitationes sint modificationes illius materiae subtilis in cerebro vi structurae eiusdem productae an non; id quod illi determinant, per animam denotantes ens quod ab omni materia adeoque a quovis ad corpus hominis pertinet constitutivo essentialiter distinctum iam supponitur. Hinc

I. Quia, qui vocem animae dicto modo intelligunt, per eam non denotant ens immateriale et quod a corpore essentialiter diversum iam supponitur: eandem non adhibent prout usus loquendi communiter receptus postulat (§. 8. I). Atque hinc quum de anima humana integram interdum tractationem conscribant, animam humanam existere demonstrant, animae existentiam nos ante cognoscere quam corporis asserant, et similia pronunciant: usum loquendi communem insuper habere censendi sunt, et regulam Per. Ill. Philosophi, §. 7. sch. b. citatam, *in philosophia a recepto verborum significatu non est recedendum, hoc est, verbis non res aliae a nobis denotandae sunt, quam quae iisdem vulgo (i. e. in communi vita) significantur.*

II. Qui vocem animae allata sumit in explicatione, dicere quidem potest, *mibi* (aut potius corpori meo crassiori) *inest anima* (anima mea existit, habeo animam, et eiusmodi), non autem *ego sum anima* (anima sumus, et similiter). Id quod, si pro termino animae substituitur eius definitio, patet facillime. Dicere enim quidem potest, *mibi* (sive machinae illi quae dicitur corpus meum) *inest ens peculiare quod est subiectum cogitationum mearum et animae nomine venit; non autem dicere poterit, ego sum ens peculiare mihi inexistens, quippe quod absque omni sano diceret sensu. Conf. §. praec. IV. num.*

IV. Quod si igitur haec loquendi formulas e. g. *anima sumus, anima nostrae existit, nobis inest anima, et similes, promiscue*

miscue et ceu aequipollentes adhiber, non satis accurate discernit, quae tamen quoad sensum differunt quam maxime.

§. 10.

Adhuc mutata aliquatenus suppositione terminum animae humanae sumere solent quidam cum Cartesio; qui dum se eo in statu fingit constitutum, quo de omnibus sibi, quin de corporis sui existentia, dubitandum pronunciat, se tamen esse ens cogitans, animam, mentem, aut qua voce quis uti velit, cum certitudine cognoscere asserit. Per animam igitur non intelligunt ens quod in homine cogitat, sed ipsum hominem cogitantem dicunt animam. Ego sum ens cogitans, ego sum anima (sive, homo est ens cogitans, homo est anima), sunt ipsis enuntiationes aequipollentes; anima et ens cogitans sunt ipsis termini synonymici. Adeoque a prioribus, quorum §. 7. 9. mentio est facta, earens differunt ut quemadmodum illi res cogitare seu producere eas quas homo sibi inesse sentit cogitationes tribuunt, non homini qua toti, sed peculiari quod homini (seu potius corpori) inexistit enti; hi potius illud tribuant homini qua toti, non autem peculiari enti quod homini inexistet ab eoque diversum esset, tamquam ens inexistentis ab ente cui inexistit.

I. Exinde manifestum est, quod qui hunc terminum allato modo accipiunt, per animam non intelligant ens, quod a corpore essentialiter distinctum iam supponitur; adeoque hunc terminum non adhibeant, prout usus loquendi vulgariter receptus postulat (§. 8.)

II. Vocem animae allato modo sumens, quia per animam non intelligit ens inexistentis et ab ente cui inexistit essentialiter diversum, dicere quidem potest, ego sum anima (a) (homo est anima), non autem, mihi inest anima (homini inest anima).

SCHOL. a. Cartesius hunc in modum, sum igitur, inquit, res cogitans, id est, mens, sive animus, sive intellectus, sive ratio. Vid. §. 3. sch. b.

§. 11.

Notata vocis animae humanae, quam usus loquendi communiter recepti neglectio introduxit, aequivocatione eo propius ad me-

C

sam

ram accedere potero, si commonstraverim, quod homo, simulac sui qua entis cogitantis cognitionem habet, corporis sui realem cognoscat atque extraidealem existentiam. Cuius evincendi causa hocce praemitto asserum: *Homo*, simulac quid sit meditabundus considerat, *unico eodemque* quo sui sibi repraesentationem format actu, ad conceptum sui inseparabiliter et ceu constitutum pertinere perspicit, tam quod sit cogitans, quam quod varia habeat membra, quorum compages constituit corpus, quod suum dicit; quin immo, utrumque non solum simul et unico eodemque, quo se contemplatur actu, sed etiam aequa cognoscit certitudine. Prius innititur propriae cuiuslibet experientiae internae, et negari ideo nequit, quia homo eo quo semet ipsum considerat actu, ne cogitando quidem et mentali abstractione (a) ab idea sui (prout nunc est in rerum natura) separare valet, tam quod sit cogitans, quam quod membrorum compage instructus sit. Simulac enim, id quod sensus internus docebit quemlibet, nemoque veritatem sectari atque ingenuus confiteri solitus negare, etiamsi maximam affectare dubitationem (b), poterit, meditationem in se ipsum dirigens se ipsum intuetur; simulac ego! secum animo loquens cogitat: statim perspicit, non solum se (sive, eum quem intelligit quum dicit, ego!) cogitare, adeoque ens cogitans esse, sed simul, se esse ens caput truncum manus pedesque habens. Impossibile ipsi prorsus est, (tentet namque atque omnes intendat nervos!) ut se sibi repraesentet, absque ut haec sui idea secum inevitabiliter afferat ideam entis variorum membrorum complexu instructi; quia suborata, ego! cogitatione statim, velit nolit, ad cogitationem, *sum ens varia habens membra* abripitur.

SCHOL. a. Me hypothetice loqui, notandum est. Nimirum sub ea hypothesi, quod homo consideretur prout nunc est in rerum natura, affirmo, ab idea hominis aequae minus vel cogitando separari posse ideam corporis, ac ab idea circuli ideam figurae. Obiiciatur forsitan sq. m. argumentando, Si corpus cogitari potest absque ut cogitetur homo, adeoque ab idea corporis mentaliter separari idea hominis: sequitur, ut vice versa ab idea hominis separari cogitando possit idea corporis. Jam verum est prius. Ergo, verum est posterius. Respondeo a) ad minorem in Vitium latet in neglecta distinctione iater terminum, corpus, et, corpus humanum (nimirum quae

le nunc est in rerum natura i. e. vivens in unione cum ente cogitante. *A*) ad consequentiam maioris. Nongeneraliter concludi potest, quod, si *A* cogitari potest absque *B*, *B* v. v. cogitari possit absque *A*. Posito enim, quod idea figuræ cogitari possit absque idea trianguli, non statim reciproce ponitur, quod idea trianguli concipi queat absque idea figuræ.

SCHOL. *b* Qua in re ad exemplum Cartesii provoco, qui licet animam esse notiozem asserat. concedere tamen est coactus, quod homo ipsa natura duce, simulac quid sit considerat, se gaudere membrorum compage cognoscat. *Attendam* inquit *Medit. II.*, *quid sponte et natura duce cogitationi meae antehac (antequam de omnibus dubitare coepi) occurrebat, quoties quid essem considerabam; nempe occurrebat primo, me habere vultum, manus, brachia, totamque hanc membrorum machinam, qualis etiam in cadavere cernitur; occurrebat praeterea, me nutriri, incedere, sentire ut et cogitare etc.*

§. 12.

Aterum autem, nimirum quod homo de utroque sit aequus certus, ex priori immediate sequitur et negari inidem nequit, quia utriusque certitudo uni eidemque prorsus innititur fundamento. Ecqua enim ex ratione ad sui ideam inseparabiliter et ceu constitutivum pertinere *τὸ* esse ens cogitans, certus est? Nonne ex ea, quoniam contradictionem involvit ut homo se (prout nunc est in rerum natura) sibi repraesentet, absque ut cogitet adeoque se esse ens cogitans cognoscat, sive, quia contradictorium est ut notio hominis, qui se considerat prout nunc est, formetur absque notionem entis cogitantis? Verum enim vero, nonne inidem contradictionem involvit et impossibile ponit, ut homo se (prout nunc est in rerum natura) sibi repraesentet, absque ut se esse ens caput truncum manus pedesque habens perspiciat, sive, nonne contradictorium est, ut notio hominis, eiusmodi qui se considerat prout nunc est in rerum natura, formetur absque notionem corporis? Nonne igitur, quum eadem prorsus certitudinis ratio adfit, aequus certus etiam, quod ad sui constitutiva pertinet *τὸ* esse ens variis instructum membris, esse poterit?

c.

SCHOL.



SCHOL. Hae in re iterum eorum consensum, qui animam corpore notio-rem dicunt, allegare possum. Quod homo ad sui ideam inseparabiliter pertinere  $\tau\delta$  esse ens cogitans, certus sit ea de causa, quia sibi, simulac se prout nunc est in rerum natura considerat, impossibile esse sentit, ut a sui idea divellat ideam cogitantis, concedit Cartesius Medit. II. *cogitatio est*, inquit, *hanc sola a me divelli nequit, ego sum, ego existo, certum est*. Quod autem homo itidem sibi, simulac se prout nunc est in rerum natura considerat, impossibile esse sentiat, ut a sui idea divellat ideam corporis, concedit itidem, *naturæ duce*, inquit ibidem, *occurrebat, quoties quid essem considerabam, me habere - totam hanc membrorum machinam* (Conf. §. praec. sch.). Concessa igitur in posteriori casu eadem certitudinis ratione, quam in priori casu concedit; eandem quoque in posteriori, quam in priori, certitudinem concedat oportet; adeoque concedat, quod homo ad sui ideam inseparabiliter pertinere  $\tau\delta$  esse ens membrorum compage instructum, sit aequae certus, ac ad sui ideam inseparabiliter pertinere  $\tau\delta$  esse ens cogitans.

## §. 13.

Praestructo, quod homo statim ac sui sibi format ideam, simul et aequae certus sit ad eandem seu constitutum pertinere ideam entis membrorum compage instructi ac ideam entis cogitantis, affirmo ulterius, quod *unico eodemque quo se existere certus est actu, etiam se existere tam qua ens caput truncum manus pedesque habens, quam qua ens cogitans* (sive ad se existentem pertinere corpus existens et cogitans existens) *sit simul et aequae certus*. Si enim id existit, quod per vocem *ego!* intelligit, quodque sibi repraesentat quando se sibi repraesentat: omne quod ipso huius *ego!* conceptu inseparabiliter includitur, existat necesse est. Hinc si homo de sui existentia est certus, certus est etiam, omne id existere, quod ad sui conceptum seu constitutum inseparabiliter pertinet. Quum igitur ad sui conceptum pertineat tam idea entis membrorum compage instructi quam idea entis cogitantis, ut eodem quo se existere certus est actu, de sui qua corporis et qua cogitantis existentia certus sit, necesse est.

## §. 14.

Ast occurrere video obiectionem, Erunt namque, qui ho-

minem



minem de eo, quod ad *sui* ideam ceu *constitutivum* pertineat *idea corporis*, aequè certum esse concedent quidem ac de eo, quod ad *sui* ideam pertineat *idea cogitantis*; at eundem de eo, quod ad *sui* ideam pertineat *corpus extraiidealiter existens*, aequè certum esse negabunt. Idque ideo, quia tunc, quum semet considerans *sui* sibi format conceptum, de eo quod cogiter, adeoque quod existat cogitans, atque hinc quod ad *sui* ideam pertineat *idea cogitantis*, dubitare prorsus nequit adeoque certus est; de eo autem, utrum corpus, quod suum esse et inseparabiliter secum connexum sentit, (et generatim quodvis aliud corpus), extra ideam realiter existat, atque hinc quod ad *sui* ideam pertineat *idea corporis* realiter existens, dubitare adhuc potest adeoque adhuc incertus est. Sed haecce statim remota est obiectio, acceperim, *hominem* tunc, quum semet ipsum considerans *sui* sibi format ideam, et secum inseparabiliter connexum esse et ad *sui* constitutiva pertinere sentit corpus, *de eo utrum hocce corpus realiter et extraiidealiter existat, dubitare, si rationem sequi ducem velit, nullo posse modo.* Ad quod evincendum sequentes breviter adstruo positiones, quarum nulla, si quod ego iudico, negari poterit. 1. Homo tunc, quum semetipsum considerans *sui* sibi formare intendit ideam, et se esse ens cogitans certus cognoscit, itidem secum inseparabiliter connexam esse animadvertit quandam membrorum compagem, quam corpus suum dicere solet. 2. Hocce corpus extraiidealiter existere assumit natura duce, id est, ne quidem sibi imaginatur fieri posse ut corpus suum sit mera tantum *sui* qua cogitantis *idea* merumque figmentum, ante quam ope artis *i. ope* argumentorum edoctus sit possibile esse, ut corpus quoddam quod vere extra mentem adesse convictissimi sumus, tamen non extra mentem realiter adsit. 3. Hinc, corpus suum extraiidealiter existere, in dubium vocare aut negare cum Idealistis non potest nisi ope argumentorum, quae a fallacia sensuum praecipuis derivata sunt, quaeque vel propriae meditationi vel scriptis aliorum colloquiove debet. 4. Haecce vero argumenta talia sunt, quae stabiliter et firma pronuntiare nequit, nisi assumis positionibus, non solum

corpo-  
deam  
ea de  
confi-  
antis,  
a me  
omo  
derat,  
con-  
quotes  
nachi-  
adem  
quo-  
opor-  
iliter  
it ac  
ens

simul  
men-  
firmo  
iam se  
n qua  
co-  
d per  
prac-  
cludi-  
errus,  
con-  
prum  
idea  
e sui

ho-  
inmem





de quarum veritate minorem habet certitudinem ac de eo, quod corpus suum extraidealiter existat, sed etiam quae per legitimas consequentias contra veritates certas impingunt. Id quod vero h. l. non probo fusius, sed Lectorem ablego ad Diss. meam, *Idealismus fundamentum destitutus*. § Reicere igitur, si sanam velit sequi rationem, haecce argumenta, quae unicum sunt dubitationis suae fundamentum, tenetur; atque hinc (dum, qui extraidealem corporis sui existentiam, in dubium vocare, aut prorsus negare desinit, eandem concedit) eum in statum, in quo natura ducē erat collocatus, quemque deserere ars suaserat fallaciter, regredi et extraidealem corporis sui existentiam assumere est adactus.

SCHOL. Monere adhuc contra allatam dissentientium objectionem possem, quod in ea, *hominem de eo utrum cogitet, dubitare non posse*, assumatur. Id namque licet in se verissimum sit; ridiculum quippe foret, si cogitans dubitaret utrum cogitet: eiusmodi tamen dubitatoribus, quibuscum hoc loco mihi res est, non concedo, sed falsum esse respectu eorum affirmo. Vid. infra §. 21. sch.

## §. 15.

Vi dictorum evictam nunc esse puto, cuius mentionem initio §i. 11. feci, assertionem, quod *homo simul ac sui qua entis cogitantis cognitionem nanciscitur*, simul ac se existere cogitantem perspicit et certus est, *etiam corporis sui realem cognoscat atque extraidealem existentiam*, etiam ad se existentem pertinere corpus extraidealiter existens certus sit. Unico namque eodemque quo sui existentiam certus assumit actu, cognoscit utrumque, nimirum tam quod sit ens cogitans, tam quod ad sui constitutiva pertineat corpus (§. 11. 13) et quidem extraidealiter existens (§. 14.) Quum utrumque igitur simul cognoscit: nonne simulac unum perspicit, perspicit et alterum? Allatam igitur assertionem pronuntiare veram, eaque vera in sequentibus evincere nunc potero, quod anima dici nequeat corpore notior.

## §. 16.

*Homo quum semetipsum considerans, se cogitare, se esse ens cogitans*

per-



*perspicit, nondum se habere animam* (ad sui constitutiva pertinere animam, se existere qua animam, animam suam existere, aut si inconvenienter loqui luberet §. 8. II. se esse animam) *cognoscit, in significatu §. 8. explicato*, nimirum eo, quo per animam denotatur ens quod a corpore essentialiter distinctum iam supponitur. Si enim se habere animam dicta in significatione affirmare vult: cognoscere ante debet, quod *to* cogitare repugnet essentiae naturaeque corporis; quod itaque cogitationum quas in se produci sentit, subiectum non possit esse subtilissima materia, et ipsae cogitationes non sint modificationes cerebri et motus a materia producti; quod consequenter cogitationum suarum subiectum sit ens aliquod peculiare, immateriale et a corpore distinctum (§. 8. III.). Quod si igitur nondum cognoscit, subiectum cogitationum suarum esse ens peculiare a corpore distinctum: nondum se habere animam novit. Jam vero dum se cogitare animadvertit et tamquam assertum primo verum assumere lubet; cognoscit quidem se esse subiectum cogitationum suarum (sibi qua toti tribuendum esse *to* producere quas sibi inesse sentit cogitationes), seque insimul esse ens caput pedes manusque habens (§. II.); nondum autem, quod hae cogitationes non possint esse operationes a corpore, nimirum a subtilissima cerebro inexisterente materia, productae, quod cogitare repugnet essentiae et naturae corporis, quod cogitationes sibi qua parti, nimirum enti cuidam peculiari, immateriali et a corpore distincto sint tribuendae. Id namque haud absque sudore contra materialitatem, si demonstrat, demonstrare poterit. Adeoque dum se cogitare animadvertit et ceu primo verum assumit, nondum se habere animam in dicta significatione assumere potest. *Ex quo immediate statim apparet, dici non posse quod homo ante certus cognoscat animam suam existere* (se habere animam, se qua animam existere, aut si ita loqui arduer, se esse animam) *quam se esse ens corpore gaudens* (sive, si ita loqui luberet, *corpus suum existere*); sed e contrario quod ante perspiciat corporis quam animae existentiam. Simulac enim se cogitare, se existere cogitantem, perspicit: corporis iam realem et extrai-

od cor-  
 conse-  
 l. non  
 us fun-  
 tionem,  
 entum,  
 kistenti-  
 conce-  
 nemque  
 sui exi-

tionem  
 esse, assu-  
 quippe  
 en dur-  
 sed fal-

m initio  
 gitantis  
 picit et  
 em exi-  
 ter exi-  
 am cer-  
 gitans,  
 et qui-  
 r simul  
 n? Al-  
 quenti-  
 tior.

ogitans  
 per-





traidealem existentiam habet perspectam (§. 15.), nondum autem animae (vi modo dictorum). *Exindeque iterum*, quia id cuius cognitionem habemus certam, dum alterius nondum habemus, notius altero nobis dicitur, prono *fluit alveo*, quod anima non notior corpore, sed corpus anima notius, *asserri debeat*, si vox animae in significato §. 8. explicato sumeretur.

## §. 17.

Affirmo ulterius, quod homo, quum se cogitare, se esse ens cogitans, ceu assertum primo verum assumere luberet, nondum se habere animam (sibi inexistere animam, ad constitutiva sui pertinere animam, animam suam existere, aut si insuper habito linguae genio ita loquiveret, §. 9. II. se esse animam) cognoscat, in significatione §. 9. explicata, nimirum qua per animam indicatur, ens peculiare homini (sive potius corpori hominis crassiori) inexistens et ab homine (sive a corpore crassiore) diversum tamquam ens inexistens ab ente cui inexistit, de quo an materiale sit an immateriale, nondum constat. Dum enim homo se cogitare perspicit et tamquam primo verum statuit: nil aliud adhuc cognoscit, ac se qua totum producere cogitationes in semet ipso. Quod vero *to* cogitare sive producere quas in se excitari sentit cogitationes, non tribuendum sit *sibi* qua toti, sed partiali cuidam *sui* constitutivo, nimirum enti cuidam peculiari sibi inexistenti et a se (sive potius a corpore crassiore) diverso tamquam unum ens quod inexistit ab altero cui inexistit ente, nondum perspicit. Jam vero quicumque nondum cognoscit, quod cogitationes quas in se produci sentit, non tribuendae sint *sibi* qua toti, sed partiali *sui* constitutivo nimirum enti cuidam peculiari sibi inexistenti (sive sit materiale sive immateriale); quicumque igitur, sibi (seu potius corpori crassiori) inesse ens peculiare, a se tamquam constitutum partiale a toto distinctum, nondum novit: nondum se habere animam adducta in significatione asserere potest (§. 9.). Homo igitur, quum se cogitantem esse ceu primum assumit, nondum se habere animam assumere potest. *Ex quo statim sequitur ut*, quia tunc quum se esse cogitantem ceu primum assumit, iam corporis sui realem cognoscit atque

extra-

extra  
contra  
iterum  
dici deb

A  
si incor  
suam e  
gem co  
perspic  
Nam si  
gnosce  
cognos  
esse cau  
Quae  
in sign

verat u  
ante cr  
vere ve  
morun  
tuere e  
usum  
minib  
dant,  
rentes  
antece  
queat  
exhibi  
adhib  
18. C  
celebr  
termin  
notat

extraidealem existentiam (§. 15.), non ante animae quam corporis, sed contra ante corporis quam animae, existentiam cognoscat. Ex eoque iterum patet quod anima non notior corpore, sed corpus anima notius, dici debeat, si vox animae sumitur prout §. 9. est ostensum.

§. 18.

Asserendum denique, quod homo non ante se esse animam (aut si incongrue loqui ipsi arrideret §. 10. II., se habere animam, animam suam existere), quam se esse ens varia habens membra quorum compagem corpus suum dicit (aut si ita loqui placeret, corpus suum existere) perspicat, si vox animae pro definitione §. 10. exhibita intelligeretur. Nam sub dicta hypothese utrumque simul, nec unum altero prius cognoscit; quia simulac se cogitare perspicit, ad se existentem pertinere cognoscit corpus realiter et extraidealiter existens, et se qua totum esse causam earum quas sibi inesse sentit cogitationum (§. 8. II. 13. 15.) Quae quum ita sint: statuendum omnino, quod, si vox animae dicta in significatione adhibeatur, anima non queat pronuntiari corpore notior.

§. 19.

Stabilire palmariam huius commentationis propositionem quid vetat ulterius? Animam humanam esse notiozem corpore, sive, hominem ante cum certitudine cognoscere animae quam corporis existentiam, asserere veritas prohibet, in quoniam etiam significatum hodie usu receptissimorum vox animae accipitur. Quin, corpus esse anima notius, statueret et pronuntiare tenetur quilibet, qui terminum animae secundum usum loquendi in communi vita receptum notumque accipere et aliis hominibus intelligenter loqui intendit. Atque id quidem ipsum ut concedant, detrectare nequeunt ipsimet, qui usum loquendi communem defendentes, animam esse corpore notiozem defendere sunt sucti. Primum vi antecedentium primo apparet intuitu. Quod enim anima dici nequeat corpore notior, si vox animae sumitur pro definitione §. 8. exhibita: ostensum est §. 16. Quod dici nequeat notior, si dicta vox adhibeatur in explicatione §. 9. et §. 10. allata: probatum est §. 17. 18. Quum igitur significationes vocis animae §. 8. 9. 10. adductae, celebriores et in scriptis philosophorum hodie sunt usu receptissimae; termino animae quippe urentes eundem accipere solent vel in ea denominatione quae in communi vita valet, vel in ea quam auctoritas virorum cele-



celebrium imperavit: quod anima non pronuntiari queat corpore notior, in quam vox animae accipiarur significatione patet. Secundum iidem ex antecedentibus stabiliri potest. Quod enim, si terminus animae in definitione §. 8. exhibita sumitur, corpus animae notius pronuntiari debeat: §. 16. evictum est. Quod hunc vero terminum in definitione §. 8. exhibita quilibet usurpare debeat, qui eum sermone in communi vita recepto convenienter accipere et hoc factum aliis hominibus intelligenter loqui vult, manifestum est ex §. 8. Tertium denique in dubium vocari nequit. Quod enim corpus animae notius sit pronuntiandum, si per animam intelligitur ens in homine cogitans, immateriale, et a corpore prorsus distinctum; concedit philosophorum quivis, etiam eorum, qui animam corpore notio-riorem defendunt (§. 8. III. sch. b.). Ast iidem, licet vocem animae humanae diversas admittere in scientiis significationes comprobare queant (§. 7. sch. a.), concedere tamen sunt coacti, quod vox animae in communi hominum sermone fixum hunc atque constantem secum conjunctum habeat significatum, ut denotet ens quod a corpore essentialiter distinctum iam supponitur; id quod negari prorsus nequit. Concedere igitur non possunt non, quod animam non asserere possent corpore notio-riorem; adeoque stabilire assertum unicuique, qui terminis animae et corporis eos iungere conceptus est assuetus quos iis iungere ex communi vita didicit, auditu peregrinum: nisi antea significatum vocum detorquerent et usum loquendi in communi vita receptum desererent; adeoque officia philosophi, quippe cui observatio usus loquendi communiter recepti curae cordique maxime esse debet, violarent incaute.

## §. 20.

Posteaquam directa probatione animam non esse notio-riorem evicti: superest (§. 6.), ut eorum qui oppositum defendunt argumentationes aggrediar et labefactem. Allatam §. 3. si spectamus, varia sunt quae eam robore destitutam efficiunt. I. Censuram meretur, quod de anima loquentes atque scribentes, terminum hunc adhibeant sic ut denotet idem ac ens cogitans (§. 3. I.); non autem ens, quod a corpore iam essentialiter distinctum supponitur. Quo facto voces aliter accipiunt ac usus loquendi communiter receptus postu-



postularat (§. 8. I.); quum tamen salutari velint philosophi, et inter homines christianos viventes dogmata sua, in vernaculo interdum sermone, proponant, ad erudiendos concives suos qui terminis auditis non alias iungere sucti sunt significationes ac ex communi vita didicerunt; atque sic regulam Per Illustri Wolfii in antecedentibus iam citatam (a) insuper habeant. 2. Loquendi formulas, *ego sum anima* (homo est anima), et, *habeo animam, anima mea existit*, (homo habet animam, anima hominis existit) et similes, adhibent promissive et ceu aequipollentes (§. 3. II.); quum hae tamen quoad sensum maxime differant (§. 10. II.); et philosophus sit obligatus determinate loqui (b), et non propositiones adhibere ceu aequipollentes quae sensu tamen differunt, ex quo evenire plerumque solet, ut demonstrationes illegitimae habeantur pro legitimis; cuius exemplum suppeditatum est §. 8. sch. c. 3. Omnium vero maxime notandum, quod fundamentum totius, qua anima corpore notior dicitur, demonstrationis (§. 3. III.) sit falsum. Falsum enim est, quod homo, dum sui sibi format ideam, dum se existentem cognoscit certus, non simul certus cognoscat, ad sui ideam inseparabiliter pertinere ideam corporis extraidealiter existentis. Conf. §. 13. 14. 15. Plura breviter causa omitto.

SCHOL. (a) Vid. §. 7. sch. b. *In philosophia a recepto verborum significatu non est recedendum esse.*

SCHOL. (b) *Nostri philosophia amat propositiones determinatas, ait Per Ill. Philosophus Log. Lat. §. 135. sch.*

§. 21.

Respectu eius quam §. 4. exhibet argumentationis eadem momenta veniunt notanda. Nimirum I. qui eam construunt et animam dicunt corpore notiozem: per animam, licet hanc vocem per intergras interdum scientias adhibeant, tamen non denotant ens quod a corpore essentialiter distinctum iam supponitur (§. 4.); adeoque usum loquendi communiter receptum derelinquunt (§. 8. I.) 2. Loquendi formulas, *anima sumus, habemus animam, anima nostra existit*, promissive usurpant (§. 4. II.); confundentes quae a se invicem distinguenda. Conf. §. 8. IV. 3. Propositio cui tota innuitur argumentatio (§. 4. II.), nimirum quod homo, dum iam certus, se esse ens cogitans sive se sui sibi et aliarum rerum esse conscium, cognoscit, dubitare adhuc possit de reali corporis sui et extraideali existentia, est falsa. Homo enim

D 2

enim







fas est, sensum internum, de extraideali corporis sui existentia quemlibet convincentem, ridere et utrum corpus vere existens habeat an non, dubitare: quare alteri nefas erit, sensum internum, cogitantem de eo quod cogiter convincentem, ridere et utrum cogitet an non, inquirere dubium?

§. 22.

Atque sic officium meum me explevisse arbitror; dum animam non esse notiozem corpore, tam directe quam eatenus ut dissentientium argumenta refutaverim, commonstravi, eo nimirum sensu, quod existentia animae homini non notior sit corporis existentia. Quia autem assertum, animam corpore notiozem pronuntians, eodem etiam in sensu intelligi solet, quod natura qualitatesque animae notiores homini sint quam corporis (§. 3. 5.) : ut etiam animam eo sensu non notiozem ostenderem, haud abs re forsitan esset. Interim quia alii iam hancce pertractarunt materiam: labori huic superfedeo, et tantum modo eorum qui oppositum stabiliunt argumentum (§. 5. adductum) infringere, id quod illi omiserunt, allaborabo. Quod si spectamus, sequentia continet sub censuram vocanda. 1. Vocem animae non sumunt huius argumenti autores, prout usus loquendi communiter receptus postulat (§. 5. l. §. 8. l.). 2. Qualitates, quae homini qua cogitanti competunt, nimirum dubitare, intelligere, velle etc. (Conf. §. 5. sch.) putant absolvere naturam et essentiam hominis. Qua in re errare censendi sunt. Essentia enim animae non consistit tantummodo in cogitare, sive in eo quod anima sit ens cogitans et habeat affectiones sibi qua cogitanti competentes; sed plura requiruntur ad animae essentiam. Adeoque is qui animam hominis esse ens cogitans cognoscit, nondum eius naturam intime habet cognitam, prout eruditi dudum contra Cartesium monuerunt. Vid. Per Jll. Wolff. Metaph. Germ. §. 193. 3. Propositio, totius demonstrationis fundamentum, est falsa. Hominem enim ante cum certitudine cognoscere dicunt qualitates et naturam sui qua cogitantis quam sui qua corporis; ideo, quia tunc quum se esse cogitantem certus est, nondum de existentia corporis extraideali est certus; adeoque de eius qualitatibus certus esse non potest. Id quod autem veritati repugnat. Homo enim, simul ac se existere cogitantem est certus, certus est de corporis, sui existentia extraideali (§. 14. 15.), et de affectionibus corporis sui, qua corporis,

trivum  
dubi-  
(15.)  
minem  
i cor-  
homo  
re po-  
o ante  
qui de  
ii exi-  
a non.  
cogi-  
noscit)  
tus est  
re cer-  
igitur  
cogi-  
et, du-  
e, con-  
et con-  
di du-  
et ex-  
Atque  
rem de  
sius in  
em, u-  
m non  
tra ad-  
averat,  
ns, sul-  
i non-  
que ex-  
experi-  
am, la-  
alli de-  
uid do-  
nus crui  
m sen-  
i anima  
an





id est, quatenus est ens in longum latum profundumque extensum, cognitionem habet magis perspicuam et claram, ac de affectionibus sui qua cogitantis; de se ipso enim qua corpore sive de corpore suo, habet saltem aliquam ideam et imaginem; de se vero qua cogitante nullam; corpus suum sibi clare repraesentare potest, aut se ens cogitans, prorsus non. Id quod natura duce cognoscitur et ipse Cartesius dubitator concedit. „Attendam, inquit Med. I., quid sponte et natura duce occurrebat, quoties quid essem considerabam; nempe occurrebat primo, me habere vultum, manus, brachia, totamque hanc membrorum machinam, qualis etiam in cadavere cernitur; occurrebat praeterea me nutrir, incedere, sentire et cogitare. Sed quid esset haec anima vel non advertentem - vel exiguum nescio - de corpore vero ne dubitabam quidem, sed distincte me nosse arbitrabar eius naturam, quam si forte, qualem mente concipiebam, describere tentassem, sic explicuissem: per corpus intelligo illud omne, quod aptum est figura aliqua terminari, loco circumscribi, spatium sic explere ut ex eo aliud omne corpus excludat, tactu visu auditu gustu vel odoratu percipi, nec non moveri.„ En confessio dubitatoris, quod homo quamdiu naturam ducem sequitur, et antequam ope artis dubitationem generalem (absque ut sufficientem habuerit rationem, quam forte scepticorum alii habuerunt), affectat, affectiones corporis rectius atque distinctius cognoscat quam animae. Plura addere et ipsam thesin, quod anima quoad qualitates naturamque notior sit corpore, evolvere omitto, quoniam ea in re oria mihi Cel. Hollmannus in Dissertationibus duabus sub titulo, *De stupendo naturae mysterio, Anima humana sibi ipsi ignota* Wittembergae 1724. ventilatis; ad quas Lectorem ablego. Quibus perlectis, si est veritatis amator ingenuus, diudicandum poterit, quo iure (§. 2.) nil nobis tam notum quam anima nostra dicatur; et verum esse confitebitur assertum, quod Cel. Holmannus cit. Diss. Prior. §. 12. recte statuit. „Anima Humana, quae novit, num corpus in quo habitat, sit procerum an parvum, crassum et obesum, an macidum, coloribus viris tinctum an pallidum, sanum an aegrotum, num sit in musaeo an in foro, num iaceat procerum an stet erectum aut sedeat inflexum, qualis ipsa sit misere ignorat.„



e  
e  
e  
n  
s  
r  
e  
b.  
n  
e  
n  
r.  
o  
:  
r.  
r.  
l.  
e,  
e.  
n  
ei  
  
ni





Rostock, Diss., 1757-54

VD18

ULB Halle 3  
004 087 607




7

56.







21

# ANIMA CORPORE NOTIOR

1754, 2.

TATIO PHILOSOPHICA

QUAM

ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
PRIMO PRINCIPE AC DOMINO,

FRIDERICO,

HEREDE AC DVCE MECLENBURGI,  
M, SVERINI AC RACEBURGI, COMITE SVERINI,  
A ROSTOCHII ET STARGARDIAE DOMINO,  
LONGE CLEMENTISSIMO.

ACADEMIA ROSTOCHIENSI  
ANNO MDCCLIV. D. XVIII. SEPTEMBER  
PVBLCICE DEFENDENT

CHRISTIANVS ESCHENBACH

PROF. PHILOS.

ET

FRIDERICVS CASIMIRVS  
ROSENBERGER.

AVZA CVRONVS, TH. C.



ROSTOCHII,  
TERIS ADLERIANIS.



1754

